



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Defensio Abbatiae Imperialis S. Maximini

Zyllesius, Nicolaus

Treveris, 1638

58. Bullæ Pontificiæ quæ in Confirmatione Abbatis Electi expediri solent 1. Absolutionis Electi. 2. Confirmationis. 3. Ad Conuentum Maximinianum. 4. Ad Vasallos & subditos Monasterij. 5. Ad ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14268

nato publico Notario, confici & expediri. Acta hæc sunt Monasterij Meinfeldiæ, in præpositura, in præsentia Illustris & Nobilium Guilhelmi Iunioris à Seyna Comitis in Witgenstein, Georgij à Ratzenburg, & Philippi ab Humburg, vt testium ad hoc requisitorum & vocatorum:

Et quia Ego Conradus Falck à Kuba, Clericus Diœcesis Treuirensis Apostolicâ & Cæsareâ auctoritate publicus Notarius, & in Ciuitate Treuirensi publicus iuratus & approbatus scriba, coram prænominatâ exhibitione Procuratorij, petitione, Iuramento, concessione & infeudatione, nec non omnibus & singulis rebus supradictis, vnâ cum prænominatis Testibus adfui, eaque personaliter vidi & audiui; idcirco hoc præsens publicum Instrumentum desuper confeci, & in hanc formam solemnem redegi, idque meâ manu cum Nomine, Cognomine, & signo manuali meo scripsi, subscripsi & subsignaui, ad supradictarum rerum attestacionem requisitus & vocatus.

58.

Bulle Pontificiæ quæ in Confirmatione Abbatis Electi expediri solent. I. Absolutionis Abbatis Electi. II. Confirmationis. III. Ad Conuentum Maximinianum. IV. Ad Vasallos & subditos Monasterij. V. Ad Imperatorem. VI. Pro Libertate Benedictionis.

Bulla I. Absolutionis Electi.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Matthiæ à Sarburg, Monacho Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treuirenses, ordinis Sancti Benedicti, salutem & Apostolicâ benedictionem. Apostolicæ Sedis consueta clementia, nè dispositiones per illam de Ecclesijs & Monasterijs quibuslibet pro tempore factæ, valeant quomodolibet impugnari, sed personæ ad illorum regimina assumendæ, illis puro corde & sincera conscientia valeant præsidere, remedia prout, conuenit, adhibet opportuna. Cum itaque nos hodiè electionem de persona tua, per dilectos filios Conuentum Monasterij, sedi prædictæ immediatè subiecti, Sancti Maximini, prope & extra muros Treuirensis, ordinis Sancti Benedicti, in eorum & dicti Monasterij tunc certo modo Abbatis regimine destituti, Abbatem canonicè celebratum, de fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate approbare & confirmare, teque eidem Monasterio in Abbatem præficere intendamus. Nos, ne, si forsan aliquibus sententijs & censuris Ecclesiasticis ligatus sis, approbatio, confirmatio & præfectio prædictæ possint propterea quomodolibet impugnari, prouidere volentes, te à quibusuis excõmunicationis, suspensionis, et interdicti, alijsque Ecclesiasticis sententijs, censuris et pœnis à Iure, vel ab homine, quauis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad hoc, vt approbatio, confirmatio et præfectio prædictæ ac singulæ litteræ Apostolicæ desuper conscribendæ suum sortiantur effectum, auctoritate prædictæ, tenore præsentium absoluiamus, et absolutum fore nuntiamus. Non

obstan

obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Monasterij, et ordinis prædictorum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque: Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis et nuntiationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo. duodecimo Kal. Decembris Pontificatus nostri anno quinto.

Bulla II. Confirmationis.

PIVS Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Matthiæ à Sarburg Abbati Monasterii, Sedi Apostolicæ immediate subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treuren: salutem et Apostolicam benedictionem. Summi dispositione rectoris ad regimen vniuersalis Ecclesiæ assumpti, curis angimur assiduis, et continua meditatione pulsamur, vt opem et operam, quantum nobis ex alto conceditur, efficaces impendamus, quod Ecclesiæ & Monasteria vniuersa pastorum regiminibus destituta, viris committantur idoneis, qui sciant, velint, & valeant Ecclesias & Monasteria ipsa feliciter gubernare. Sanè dudum Monasterio, Sedi Apostolicæ immediatè subiecto Sancti Maximini prope & extra muros Treuren. cui quondam Petrus ipsius Monasterij Abbas, dum viueret, præsidebat, per obitum eiusdem Petri, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persoluit, Abbatis regimine destituto, dilecti filij Conuentus dicti Monasterij, ad quos electio personæ idoneæ in Abbatem ipsius Monasterij, dum pro tempore vacat, iuxta concordata dudum inter sedem prætractam & nationem Germanicam inira, pertinere dignoscitur, pro futuri inibi Abbatis electione celebranda vocatis omnibus, qui voluerant, potuerant & debuerant electioni huiusmodi commodè interesse, die ad eligendum præfixa, vt moris est, conuenientes in vnum, te Monachum eiusdem Monasterij, ordinem ipsum expressè professum, & in presbyteratus ordine constitutum, in eorum & dicti Monasterij Abbatem, via scrutinij, concorditer elegerunt, tuque electioni huiusmodi, illius tibi præsentato decreto, consensisti, & deinde electionis huiusmodi negotium proponi fecisti in Consistorio coram nobis, petens illam Apostolica autoritate confirmari, & in his omnibus, statutis à iure temporibus obseruatis; Nos igitur, qui electionem de persona tua, cui apud nos de Religionis zelo, vitæ munditia, honestate morum, spiritualium prouidentia, & temporalium circumspectione, aliisque multiplicium virtutum donis, fide digna testimonia perhibentur, inuenimus canonicè celebratam, illam de fratrum nostrorum consilio, autoritate prædicta approbamus & confirmamus. Teque eidem Monasterio in Abbatem præficimus, curam, regimen, & administrationem ipsius Monasterij tibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, in illo, qui dat gratias & largitur præmia, confidentes, quod dextera Domini tibi assistente propitia, prætractum Monasterium per tuæ circumspectionis industriam & studium fructuosum regetur vtiliter, & prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus & temporalibus suscipiet incrementa. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi à Domino onus regiminis & administrationis prædictorum prompta deuotione suscipiens, curam & administrationem huiusmodi sic sol-

licitè geras & fideliter prosequaris, quod per tuæ diligentiae laudabile studium, Monasterium ipsum gubernatori prouido, & fructuoso administratori gaudeat se commissum, Tuque præter æternæ retributionis præmium, nostram & dictæ Sedis benedictionem & gratiam exinde vberius consequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Dominicæ Incarnationis, Millesimo, quingentesimo, septuagesimo, duodecimo Kl. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Bulla III. Ad Conuentum S. Maximini.

Pivs Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs Conuentui Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treuren. ordinis Sancti Benedicti, salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie electionem de personâ dilecti filij Matthiæ a Sarburg, Abbatis vestri, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti Sancti Maximini, prope & extra muros Treuren. ordinis Sancti Benedicti, tunc per obitum quondam Petri, olim ipsius Monasterij Abbatis extra Romanam Curiam defuncti, Abbatis regimine destituti canonicè celebratam, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica autoritate approbauimus & confirmauimus, ipsumque illi in Abbatem præfecimus, curam, regimen & administrationem ipsius Monasterij sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca discretionem vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Matthiam Abbatem tanquam Patrem & Pastorem animarum vestrarum deuote suscipientes & exhibentes, sibi obedientiam & reuerentiam debitas & deuotas, eius salubria monita & mandata suscipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam, quam idem Matthias Abbas rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus authore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo, quingentesimo, septuagesimo, duodecimo Kl. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Bulla IV. Ad Vasallos & subditos Monasterij.

Pivs Episcopus Seruus Seruorum Dei, Dilectis filijs vniuersis Vasallis Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti Sancti Maximini prope & extra muros Treuren. ordinis Sancti Benedicti, salutem & Apostolicam benedictionem. Hodie electionem de persona dilecti filij Matthiæ Abbatis Monasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti Sancti Maximini prope & extra muros Treuren. ordinis Sancti Benedicti, per dilectos filios Conuentum ipsius Monasterij, in eorum & dicti Monasterij, tunc per obitum quondam Petri olim ipsius Monasterij Abbatis extra Romanam Curiam defuncti, Abbatis regimine destituti, Abbatem canonicè celebratam, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica autoritate approbauimus & confirmauimus, ipsumque illi in Abbatem præfecimus, curam, regimen & administrationem ipsius Monasterij, sibi in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quocirca vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Matthiam Abbatem

grato

grato suscipientes honore ei fidelitatem solitam, nec non consueta seruitia & iura sibi à vobis debita exhibere integre studeatis, alioquin sententiam siue pœnam, quam idem Matthias Abbas rite tulerit, seu statuerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruari. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo quingentesimo septuagesimo, duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

Bulla V. Ad Imperatorem.

PIUS Episcopus Seruus Seruorum Dei, Charissimo in Christo filio Maximiliano Romanorum Regi Illustri, in eorundem Romanorum Imperatorem electo, salutem et Apostolicam benedictionem. Hodie electionem de persona dilecti filij Matthiæ à Sarburg Abbatis Monasterii, Sedi Apostolicę immediate subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treuren: ordinis S. Benedicti per dilectos filios Conuentum ipsius Monasterii tunc per obitum quondam Petri olim ipsius Monasterii Abbatis extra Romanam Curiam defuncti, Abbatis regimine destituti, Abbatem canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica autoritate approbauimus & confirmauimus, ipsumque illi in Abbatem præfecimus, curam, regimen & administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum itaque, fili charissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno fauore prosequi, ac eos verbis & operibus pro Regis æterni gloria venerari, Maiestatem tuam rogamus & hortamur, attente, quatenus eundem Matthiam Abbatem & præactum Monasterium suę curę commissum habens, pro nostra & Apostolicę Sedis reuerentia, propensius commendatos in ampliandis & conseruandis iuribus suis, sic eos benigni fauoris auxilio prosequaris, quod idem Matthias Abbas tuę Celsitudinis fultus præsidio, in commisso sibi dicti Monasterii regimine possit Deo propitio prosperari, ac tibi exinde à Deo perennis vitę præmium, & à nobis condigna proueniat actio gratiarum. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo septuagesimo, duodecimo Kl. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

VI. Pro Libertate Benedictionis.

PIUS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Matthiæ Abbati Monasterij, Sedi Apostolicę immediate subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treurenfes, ordinis Sancti Benedicti, salutem & Apostolicę benedictionem. Cum nos hodie electionem de persona tua per dilectos filios Conuentum Monasterii Sedi Apostolicę immediate subiecti Sancti Maximini, prope & extra muros Treuren. ordinis Sancti Benedicti in eorum, & dicti Monasterii tunc per obitum quondam Petri olim ipsius Monasterij Abbatis, extra Romanam curiam defuncti, Abbatis regimine destituti, Abbatem, canonice celebratam de fratrum nostrorum consilio Apostolica autoritate approbauerimus, teque eidem Monasterio in Abbatem præfecerimus, curam, regimen & administrationem ipsius monasterii tibi in spiritualibus & temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius

con-

Continetur. Nos ad ea, quæ ad ea, quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valcant, fauorabiliter intendentes, tuis in hac parte supplicationibus inclinatis, Tibi, vt à quocunque volueris Catholico Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, munus benedictionis recipere valeas, ac eidem Antistiti, vt illud licitè tibi impendere possit, concedimus per præsentem. Volumus autem, quod idem Antistes, qui tibi munus prædictum impendet, antequam illud tibi impendat, à te, nostro & Romanæ Ecclesiæ nomine, fidelitatis debitæ solitum recipiat iuramentum, iuxta formam, quam sub bullâ nostrâ mittimus introclusam, ac quod tu formam Iuramenti huiusmodi, quod præstabit nobis, de verbo ad verbum per tuas patentes litteras tuo sigillo munitas per proprium nuntium quantocitius destinare procures. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo, duodecimo Kl. Decembris, Pontificatus nostri anno quinto.

59.

*Iuramentum quod Abbas Sancti Maximini S. Sedi
Apostolicæ præstat.*

Ego Matthias à Sarburg Abbas Mönasterij, Sedi Apostolicæ immediatè subiecti, Sancti Maximini prope & extra muros Treuirenses, ordinis Sancti Benedicti, ab hac horâ in antea fidelis & obediens ero Beato Petro, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ ac Domino nostro, Domino Pio Papæ V. eiusque Successoribus canonicè intrantibus; Non ero in consilio, consensu, vel facto, vt vitam perdant aut membrum, seu capiantur, aut in eos manus violentè quomodolibet ingerantur, vel iniuriæ aliquæ inferantur, quouis quæsito colore. Consilium verò, quod mihi credituri sunt per se, aut nuntios seu litteras, ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, Adiutor eis ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hominem. Legatos Apostolicæ Sedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adiuuabo: Iura, honores, privilegia & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ & successorum prædictorum conseruare, defendere, augere & promouere curabo. Nec ero in Consilio, facto, vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Ecclesiam Romanam aliqua sinistra vel præiudicialia personæ, honoris, status, iuris & potestatis eorum machinentur. Et si talia à quibuscunque procurari uidero, vel tractari, impediam hæc pro posse, & quantocitius poterò, commodè significabo eidem Domino nostro vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit peruenire. Regulas Sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, prouisiones & mandata Apostolica totis viribus obseruabo, & faciam ab alijs obseruari. hæreticos, schismaticos & rebelles Domino nostro & successoribus prædictis, pro posse persequar & impugnabo. vocatus ad Synodum, veniam, nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditioe, possessiones vero ad Mönasterium meum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Conuentus Mönasterij mei, inconsulto Romano Pontifice, sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.